



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

1 Sponsalia impuberum etsi ad matrimonium obligent, non tamen superueniente aetate matrimonium fiunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

DECISIO LXVI.

Ex cons. 18. in Nouis deest in antiquis.

66 Sponsalia solemniter de futuro cum aliqua contrahens, & eam antequam per verba de presenti coram parochio, & testibus per Concilium Trid. sess. 24. de ref. matr. c. 1. ad id requisitis contrahat, carnaliter cognoscens, quamuis eam ducere tenetur, maritus tamen eius non efficitur, eo quod nec matrimonium hodie per copulam affectu maritali post sponsalia habitam præsumitur, nec absque præsentia parochi, aut alterius Sacerdotis de illius, vel ordinarij licentia, & sine testibus valide contrahi potest.

DECISIO LXVII.

Ex cons. 19. in Nouis, deest in antiquis.

67 Cum omnis promissio rei notabilis licite promittentem, sub pœna peccati mortalis iure naturali, & canonico obliget, c. 1. de pœnis, & iuramentum quacunque arte verborum concepiatur, in eo sensu adimpleri debet, quem cui iuratur, intelligit, c. Quacunque 22. q. 1. & Nau. in Man. c. 16. nu. 18. quare virginem in vxorem ducere promittens ducere tenetur, etiam si talem promissionem absque animo adimplendi fecerit.

DECISIO LXVIII.

Ex cons. 20. in Nouis, deest in antiquis.

68 Virginem diu sollicitans, fingendo eam in vxorem ducere velle, si tantum ad oscula, & tactus perueniat, quamuis illam in vxorem ducere non tenetur, doctorem tamen aliquam in illati damni compensationem assignare debet.

TITVLVS II.

De desponsatione impuberum.

S V M M A R I V M.

- 1 Sponsalia impuberum etsi ad matrimonium obligent, non tamen superueniente ætate matrimonium fiunt.
- 2 Sponsalia inter puberem, & impuberem valent, sed pubes resiliere non potest donec alter pubescat, & contrahere nolit.
- 3 Sponsalia per parentes sponso presentibus, vel ratificantibus contracta tenent, possunt tamen, etiam si iurata fuerint, mutuo consensu dissolui.
- 4 Impuberes, an, & qui consensum sufficientem ad matrimonium contrahendum de presenti habere censentur.

DECISIO I.

Ex cons. 1. alias 2.

1 Quamuis duo impuberes, aut pubes cum impubere etiã per verba de presenti in se contrahant, non tamen verum inter se matrimonium, sed tantum iuris fictione, c. 1. de spons. impub. in 6. sponsalia de futuro contrahere censentur, nisi pubertati proximi sint, & malicia, vel potentia suppleat ætatem; Sed neque per solam ætatem superuenientem talia sponsalia in matrimonium transeunt; adeo ut alter eorum adueniente ætate cum alia, vel cum alio matrimonium valide contrahere potest; Sic tamen cum alia, vel cum alio contrahens matrimonium peccat, nisi aliqua iusta de causa superueniente excusetur eo, quod sponsalia priora de futuro etiam inter impuberes in conscientia ad matrimonium contrahendum obligant.

DECISIO II.

Ex cons. 2. alias 1.

2 Pubes cum puella impubere sponsalia de futuro contrahens, expectare tenetur nec sine peccato resiliere potest etiam de consensu eius, donec illa pubescat; Quod si adueniente pubertate puella cum eo contrahere tenuat, poterit

utrumque libere a præfatis sponsalibus discedere; Aut si ipsa tunc cum ipso contrahere voluerit, tenebitur ipse cum illa contrahere: Sin antequam illa pubescat, etiam de consensu eius, vel postquam ad pubertatem peruenerit sine consensu eius, matrimonium cum alia per verba de presenti contrahat, peccat quidem mortaliter, matrimonium tamen alias legitime contractum valet; ita Doctor. in c. 1. de despons. impub.

DECISIO III.

Ex cons. 14. alias 3. de rescriptis.

3 Sponsalia per parentes sponso absentibus, nec postea ratificantibus illa contracta, nihil valent; cap. 1. §. porro. de despons. impub. in 6. si vero ipsi presentibus, vel postea ratificantibus contracta sint, siue iurata, siue non iurata fuerint, apposta pœna, ut is, per quem fieret, quo minus Matrimonium inter eos contraheretur, alteri pœna nomine certam aliquã pecuniã quantitatem solueret, & valida censenda sunt, & ad Matrimonium contrahendum obligant; Quod si alter resiliere velit non potest pœna illa peti; cum nemo ad Matrimonium contrahendum per pœnam obligari iuste possit. c. Gema. de sponsal. Possunt tamen huiusmodi sponsalia de ambo rum sponso rum consensu solui, ca. Præterea ita vt non sit opus absolutione vlla de iuramento factio; Per remissionem enim fidei, & promissionis date, remittitur etiam & iuramentum quod tanquam earum accessorium opponi solet.

DECISIO IV.

Ex cons. 5. in Nouis deest in antiquis.

4 Impuberes non habere consensum sufficientem ad matrimonium de presenti contrahendum etsi ius canonicum alicubi insinuare videatur c. 2. de despons. impub. verius tamen est, id solum in infantibus, & aliis dol non capacibus intelligi, vnde alibi inter eos sufficientem consensum inueniri posse tradit, c. continebatur. de despons. impube. & c. fin. de eo qui cogn. confan. vx. & impuberibus quibusdam, vt Matrimonium contrahere possent, Pius V. concessisse dicitur, quãuis postea Gregorius XIII. die 13. Aprilis 1580. respondisse fertur sedem Apostolicam ob hoc non esse interpellandam, cum si deficiat discretio, vel potentia consumandi Matrimonium sedes Apostolica nihil possit; quod si neutrum deesse cognouerit ordinarius, poterit (si causa quæ narratur verã hinc) suo iure dictam licentiam concedere.

TITVLVS III.

De clandestina desponsatione.

S V M M A R I V M.

- 1 Parochi denunciations trinas matrimonijs contrahendis præmittendas remittere non possunt.
- 2 Parochianum non facit habitatio ad tempus extra domicilium.
- 3 Matrimonium sine presentia parochi, in locis ubi Concilium receptum non est, an valeat.
- 4 Matrimonium clam ducta veliãta, cum alia contractum, in locis ubi Concilium non est receptum, non valet.
- 5 Matrimonium raptor cum rapta ante restitutionem contrahere nequit.
- 6 Matrimonium cum non baptizato contractum est nullum.
- 7 Absolui nequit, qui infidelẽm ducit, nisi ab ea se separet.
- 8 Matrimonium, cui nec parochus, nec alius de illius licentia aderat, per cohabitationem septennem, non validatur.

DECISIO I.

Ex cons. 1. in utrisque.

1 Qui Matrimonium contrahere volunt, & timent, ne si publicaretur; antequam esset contractum, a ma-